

R. N.
386
17

II n
654

COMMENTATIVNCVLA
DE
STVDIO CAROLI M. IN PROPAGANDA
ET CONSERVANDA RELIGIONE
CHRISTIANA

QVA
V I R O
SVMME REVERENDO EXCELLENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
MATTHIAE · MICHAELI
KÜMMELMANNO

MVNERA PASTORIS PRIMARIJ ANTISTITISQVE A SACRIS
IN AGRO FRIBVRGBNSI FACI VNDIS
DOM. III. ADVENT. A. R. S. CIOCCCLXVI.

ADEVNTI
PIA MENTE
GRATVLATVR
SIGISMVNDVS FRIDEMANN CAROLVS ROTH
QVERFVRTENSIS.

L I P S I A E,
LITERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.



*1806. 20. Regi-
trator*



COMMISSIONER GENERAL

DE

STATE OF NEW YORK

IN SENATE

JANUARY 1862

REPORT

OF THE

COMMISSIONER GENERAL

OF THE LAND OFFICE

FOR THE YEAR 1861

ALBANY:

WHEAT, BRADY & COMPANY, PRINTERS

1862

STATE OF NEW YORK

DE

SENATE

JANUARY

REPORT

OF THE

COMMISSIONER GENERAL

OF THE LAND OFFICE

FOR THE YEAR 1861



V I R
SVMME REVERENDE EXCELLENTISSIME
DOCTISSIME
PATRONE OPTIME,

S *tsi nominis splendor, numerisque TV lampli-
tudo me a proposito litterarum ad TE scri-
bendarum deterrere debuissent: persuasus
tamen de singulari TVA erga me beneuo-
lencia has ad TE, VIR SVMME REVEREN-
DE, exaravi litteras, quas vt in optimam partem
accipias, vehementer etiam atque etiam TE rogo.
Magnitudo enim beneficiorum, quibus me meosque
ornaſti ſemper atque cumulaſti, tantopere animum
meum percuffit, vt facere non poſſem, quin gratias,
quas poſſem maximas, hodierno die laetiſſimo palam
TIBI agerem, omnisque generis fauſta de ſummi
muneris TVI auſpicio ex vera erga TE pietate
TIBI apprecarer. Nec aptior ſane, animum
meum gratum TIBI ſignificandi, contingere mi-
hi potuiſſet occaſio, quam quae mihi ſeſe obtulit
hodierno die, quo Liberi, Cognati, Amici, omnes-
que ceteri, quos TVA TIBI deuinxisti beneuo-
lencia, ad TE, VIR SVMME REVEREN-
DE, accedunt, votisque optimis, pro ſalute TVA*

ad Deum Optimum Maximum faciendis certare
veluti videntur. Accipe igitur et mea vota, quae
ex animo grato pietatisque pleno proficiuntur.
Verum accipe etiam leues haec primitias meas aca-
demicas, quas bene scio non esse eiusmodi, ut TVAM
attentionem aliqua tantum ex parte mereantur.
Ceterum Deus Optimus Maximus conseruet TE
per multos annos, prorogetque vitam TVAM in
Salutem Ecclesiae Iesu Christi, TVORVMque emo-
lumentum. Adsit TIBI semper benignissimus iste
rerum humanarum Arbiter Spiritu suo Sancto,
omnibusque actionibus TVIS, quas in administran-
domunere, TIBI concesso, suscipies, felicissimos sem-
per largiatur successus. Vale, VIR SVMME
REVERENDE, summoque Patrocinio TVO et
in posterum complectere.

VIR SVMME REVERENDE
NOMINI TVO EXCELLENTISSIMO

Lipsiae,
Idibus Decembribus
CICIDCCLXVI.

ADDICTISSIMVM
SIGISMVNDVM FRIDEMANN CAROLVM ROTH.



§. I.



Carolus M. vnum ex praestantissimis post hominum memoriam fuisse Imperatoribus, testantur Scriptores tum eiusdem tum recentioris aevi. Inter facta autem eius laudabilia eminent inprimis eius studium in propaganda et conseruanda Religione Christiana, et hoc erit, vt paucis dicam, nec nimis in praefando longus sim, argumentum dissertatiunculae meae.

§. II.

Opera autem Caroli M. in propaganda Religione Christiana cernitur primum in Saxonibus ad veritatem Christianam conuertendis. Haec natio ferox, ¹⁾ gentilibusque superstitionibus

A 3

- 1) Quam multis magnisque superstitionibus obruta tunc fuerit Germanorum, et sic quoque Saxonum gens, cognosci potest ex *Indiculo Superstitionum et Pagianarum, quarum obseruantia* in Synodo, ao. 742. sub Carolomanno, Regis Francorum Maiore domus habita, interdicebatur. Reperitur, *hicce Indiculus, plerumque Liptinensis propterea dictus*, quod in Synodo, sub eodem Carolomanno ao. 743. apud Liptinas, (hodie *Lefines in comitatu Hannoniensi*) habita, confirmatus fuit, in *Corp. Iuris German. Antiqui*, a Petro Georgisch edito, p. 491. et in *Monument. Paderborn.* p. 336. edit. Amstelod. vbi simul per antiqua legitur *fidei professio*, quam Sacris Christianis initiati in lingua Veteri Theotisca edere conseruerunt.



misere infecta,²⁾ foecundissimam Germaniae, vsque ad haec tempora, possederat partem, magnamque sibi ex incurSIONIBUS in ciuitates finitimas, Francorum praefertim, saepe repetitis, acquisierat famam. Hanc igitur nationem, Francis tributum 300. equorum soluere recusantem, Carolus M. domitare, et simul a supersticioso Deorum cultu abducere omni modo tentabat. Propterea in comitiis³⁾ WORMATIAE, anno 772. habitis decernebat, arma contra Saxones ferre, nec citius ea deponere, donec illi Francorum imperio sese subiecissent; relictisque auitis superstitionibus, Sacra Christiana amplexi fuissent. Suscipiebat etiam Carolus M. hoc ipso anno primam expeditionem, felicissimosque ab initio faciebat progressus. Etenim vix in Westphaliam irruerat, cum⁴⁾ Eresburgum, Saxonibus ad Osnabrugam bene deuictis, eriperet⁵⁾, Irmensulamque eorum cum ipso fano penitus destrueret. Tantum vero aberat, vt ex hac clade tristissima Caroli potentiam, fortemque animum cognoscerent, vt potius hanc sibi illatam maculam strenue eluere tentarent. Vix enim Carolus M. Italiam, ob nouas Langobardorum incurSIONES reprimendas, petierat, cum iam fines Galliae denuo turbarent, igne ferroque deuastarent, castellumque Eresburgense magno cum impetu reciperent. Et sic diu inter Carolum

2) Nempe Holfatiam, ducatum Slesvicensem, Stormariam, Dithmarsiam, Wagriam et sic porro, cui nomen erat Saxoniae Transalbiniae: et Westphaliam, Angariam, Ostphaliam magnamque partem Thuringiae, quae vocabatur Saxonia Cisalбина.

3) Vid. *Eginharti Annal. de reb. gest. Caroli ad annum 772.* apud *Duchefne Tom. II. Script. Rer. Franc.* p. 238. et *Rheginon. Chron. L. II. p. 25. in Pistorii Scriptt. rer. Germ. Tom. I.*

4) Hic locus varie a variis Historicis appellatur. Mox *Ertzberg, Heresburg, Eresburg, Haereburg, Eresberg, Marsburg, Mersburg*, et sic porro: hodie vero dicitur *Stadsberg*, ditonique Archiepiscopi Colonienſis, inuito tamen Abbate Corbeiensi, subiectus est.

5) De hac Saxonum Irmensula ex instituto egit Meibomius *Tom. III. Scrip. Rer. German.* p. 6. 32.



rolum M. bellicososque, ducibus ⁶⁾ Witekindo et Albione, Saxones varia fortuna pugnatum est, donec hi, viribus tandem consumpti, ao. 783. bis a Rege Francorum ad interneccionem vsque ⁷⁾ prosternebantur. Post gloriosissimas igitur has duas a Carolo M. reportatas victorias, Witekindus tandem et Albion, nescientes quo se verterent, cum magna Saxonum parte Carolo M. sese submittebant, annoque 785. Attenaci praesente ipso Rege Carolo ⁸⁾ per baptismum Sacris initiabantur Christianis. Verum enim vero licet vtriusque ducis fortissimi modestia ceteros Saxones ad Sacra Christiana amplectenda excitare debuisset: nihil tamen minus curabant, quam Caroli satisfacere consiliis. Vix enim per nonnullos annos quieti fuerant, cum arma iam reciperent, bellumque vsque ad annum 803. maximo cum impetu, licet non vna temporis serie, continuarent. ⁹⁾

§. III.

- 6) De Witekindo eiusque rebus gestis vid. *Conr. Sam. Schwarzseifchii* Disser. de Witekindo M. et Io. Andr. Crusii liber singularis de Vita, moribus et rebus gestis Witekindi M. qui reperitur in Leuckfeldi Scriptorr. *Res. German.* p. 71. sqq.
- 7) Pugnatum fuisse primum ad Dethmoldiam in Comitatu Lippiensi, deinde apud Hasam fluvium, non procul ab Osnabruga, testatur *Eginb. in Vita Caroli M. c. 8.* dicens: Hoc bello — ipse (Carolus) non amplius cum hoste (Saxonibus) quam bis acie confligit, semel iuxta montem, qui Osneggi dicitur, in loco Thietmelle nominato, et iterum apud Hasam fluvium. In eadem fere regione, nempe in saltu Teuzoburgico, Quintilianum Varum ab Arminio Cheruscorum principe fuisse caelum docet *Illustriusimus a Fürstenberg in Monum. Paderborn.* p. 22. sqq. p. 40. sqq.
- 8) Baptismaum Attenaci, (hod. Attigny) in Campania Superiori peractum fuisse testatur *Rhegin. Chron. L. II. p. 29. apud Pistor.* Tom. I. his verbis: Qui (Witekindus et Albion) acceptis obsidibus ad Attinacium ad Regem venerunt, ibique baptizati sunt.
- 9) Funestissime igitur per XXXIII. fere annos bellatum est, vt disertè testatur *Eginb. in Vita Caroli M. c. 7. et 8.* Plures eo bello, (inquit Cap. 8.) tam ex nobilitate Francorum quam Saxonum, et summi summis honoribus Viri consumpti sunt, tandemque anno trigesimo tertio finitum est. Hoc igitur anno 803. omnes omnino Saxones multis millibus eorum in Galliam translatis, sacra tandem Christiana amplexi sunt, Francisque adunati vnum cum iis populum effecerunt.



§. III.

Idem periculum, quod in conuertendis Saxonibus, fecerat Carolus, fecit etiam ao. 791. eadem fere ratione in Auariibus ad Sacra Christiana perducendis: quibus tamen susceptis non optimus adeo respondit euentus. Carolo enim mortuo, exigua, quae in hac gente adhuc splenduerat, Christianae Religionis notitia interibat, auitaeque superstitiones pristinas, quas inuitae reliquerant, sedes vsque ad medium Seculum X. repetebant. ¹⁾

§. IIII.

Verum enim vero Carolus M. bene sciens, gladium in debellandis Gentilium superstitionibus non sufficere, multa alia etiam instituit, quae arbitratur vehementer profutura esse Religioni Christianae vel propagandae vel conseruandae. Pertinet huc inprimis erectio ²⁾ VIII. Ecclesiarum Cathedralium, quarum non modo quatuor constituit in Westphalia nempe ³⁾ Osna-brucen-

1) Obtigit tamen hic, quem Carolus vehementer petierat, honos Stephano, Geylae Hungarorum Principis filio, imperium anno 997. occupanti. Hic post *aut parentisque* curas hanc sibi inprimis datam fuisse putabat prouinciam, vt hanc *barbaram gentem* ad Christum perduceret. Factum inde est, vt grata posteritas, acceptique beneficii non immemor, huic Stephano honores Sancti, nomenque Apostoli Hungariae decerneret. Cf. Io. Laur. Mosheimi Institut. Hist. Eccles. p. 356.

2) Etil scio, annos *foundationis harum Ecclesiarum* nondum satis esse certos, nihilo minus tamen *boni ordinis causa* eos adicere constitui, sicut in Chronicis Vett. eos reperi. Extat ceteroquin *Capitulare Caroli M. de instituendis per Saxoniam Episcopatibus* de anno 789. in Steph. Baluzii *Capitul. Regg. Franc.* Tom. I. p. 241.

3) Primus huius Ecclesiae Episcopus fuit *Guitbo (aliis Wibo)* vt testatur *Chron. Osna-bruc.* apud *Meibom.* Tom. II. p. 195. sqq. *diploma* autem *foundationis* reperitur in *Monum. Paderb.* p. 327. sqq. vbi Carolus declarat, se cum *pedo et gladio* Episcopum instituere, de cuius tamen *audivitq.* multi eruditi, inter ipsos adeo Pontificios dubitant, e. g. *Papebrochius, Mabillonius* etc.



brucensem, ao. 772. 4) Mimigardeuordensem Ao. 776. 5) Mindensem Ao. 780. 6) Paderbornensem Ao. 795. Verum etiam quatuor in Saxoniam Inferiorem, nempe 7) Selingstadiensem Ao. 777. 8) Verdensem Ao. 786. 9) Bremensem Ao. 788. atque 10) Aulicensem Ao. 769. Nec negandum est, ex his sedibus Episcopalibus maximos sane Christianam Religionem percepisse fructus. Addunt nonnulli quidem hisce Ecclesiis, a Carolo M.

con-

- 4) Praefecit huic Ecclesiae *Ludgerum*, natione *Frisium*. Auctore *Meibom.* Tom. I. p. 421. Tom. II. 198. Inde ab *Herrmanno I.* circa initium Seculi XI. *Episcopi Mimigardeuordenses* dicti sunt *Monasterienses*. Causam vide apud *Cranzium* in *Metrop.* L. IV. c. 14. et 24.
- 5) Naetus est hunc Episcopatum *Hercumbertus*, (aliis *Herimburtus*) *Vid. Chron. Mindense* apud *Meibom.* Tom. I. p. 555.
- 6) *Vid. Gobelinus Persona* apud *Meibom.* Tom. I. 238. et *Cranzium Metrop.* I. c. 11. Primus Episcopus fuit *Hatunarus Canonicus Herbipolitanus*.
- 7) Hanc ecclesiam *Carolus* regendam tradidit *Hildegrino* fratri *Ludgeri*. Postea vocata est *Ostervicensis*, tandemque ao. 809. translata *Halberstadium*, referentibus *Chron. Mindensi* l. c. p. 554. et *Cranzio* in *Metrop.* I. 3.
- 8) Diploma foundationis huius Ecclesiae reperitur in *Auctario diplomatt. et Privileg. Lindenbrogii Script. Rer. Septentrional* annexo p. 177. Primus Episcopus fuit *Suibertus, Frisus*, quem *Bellarminus L. I. de Sanctor. beatitate* c. 8. et post ipsum *Baronius* ad 804. Tom. IX. primum fuisse dicunt, qui a *Leone III.* praesentibus *Carolo M.* multisque Cardinalibus et Archiepiscopis solemniter in numerum Sanctorum relatus fuisset. At contrarium docuit *Io. Alb. Fabricius* in *Bibliograph. Antiq.* p. 269. 199. multisque probavit testimoniis, hunc honorem potius primum adeptum fuisse *Vadricum, Augustanum Episcopum* ao. 983. ab *Ioanne XV.* Pontifice Romano.
- 9) Naetus est hunc Episcopatum *Willehadus*, ut testatur *Chron. Bremense* apud *Meibom.* Tom. II. 22. Diploma foundationis reperitur apud *Adam. Bremens.* in *Hist. Eccles.* l. I. c. 10.
- 10) Alius quoque vocatur *Elzensis*, ab *Elze*, ubi constituta erat, quemque locum *Aulici, Aulicam*, nominabant propterea quod *Carolus M.* saepe numero ibi sedem suam collocauerat. Primus Episcopus fuit *Guntherus*: ipsa autem ecclesia ao. 819. per *Ladonicum Pium* translata est *Hildesiam*, cuius translationis causam fabulosam narrat *Cranzium Metrop.* l. c. 10.

B



constitutis, Hamburgensem: cum autem non nisi prima eius fundamenta posuerit, opusque inceptum Ludouicus Pius ao. 834. perfecit, propterea ipsi nec immorabor. Sed trans-
eo potius.

§. V.

Ad scholas illas, ¹⁾ quas Carolus M. ad vnamquamque harum sedium Episcopatum condidit, quaeque Cathedralis propterea nominatae sunt. In his scholis puerilis et iuuenilis aetas in sacris omnibusque bonis litteris erudiebatur, et ad sacra aliaque munera aliquando capeffenda, egregie preparabatur. Praesidebat tali Collegio Episcopus, primariusque eius doctor nominabatur Scholasticus. ²⁾ Aedificauit quoque, vt vulgo creditur, XXIII. Monasteria, putans, haec loca alendis pietatis exercitiis, confirmandaeque Religioni Christianae vehementer fore proficua. Locum in iis obtinent Aquisgrauense B. Mariae V. Colmariense S. Martini, Neoburgense ad Rhenum, Laurissense non procul ab Heidelberg, quod habuit olim instructissimam Germaniae Bibliothecam, Verdense, Selingstadiense S. Stephano dicatum et alia, quae recenset Hospinianus *de Origine et progressu*

- 1) Extat *constitutio generalis de Scholis per singulos Episcopatus et Monasteria instituendis* de anno 787. apud Baluz. in *Capitul. Regg. Franc.* Tom. I. p. 201. quae repetita est a *Launoio de Scholis celebrioribus* etc. p. 6.
- 2) *Carolus 24. Monasteria exstruxisse ad numerum litterarum Alphabeti*, testatur *Chron. Mindense* apud *Meib.* Tom. I. p. 555. hisce verbis: *Ad numerum itaque elementorum et litterarum in Alphabeto monasteria exstruxit, et in vnoquoque per ordinem, vnam litteram de auro fabricatam, plus quam 100. libras Turonensium valentem reliquit, vt ordine litterarum, tempus fundationis vniuscuiusque Monasterii cognosceretur: quae quidem litterae plerisque in Monasteriis vsque in hodiernum reperuntur.* Testatur hoc ipse *Meibomius* in *diff. de Irmenfala Saxonica* p. 22. quando dicit: in frontispicio templi Eresburgensis Carolini adhuc *litteram A.* expressam conspici, adeoque *Mersbergenses* litteram A. etiamnum suis numis imprimere solere.

gressu Monach. p. 285. Quin horum etiam ³⁾ Monasteriorum Abbates, auctoritate benefici fundatoris, aperiebant scholas minime spernendas, quas appellabant Monasticas, quaeque in Interiores, quia intra, et Exteriores, quia extra Monachorum claustra constitutae erant, diuidebantur. In illis futuri Monachi ad vitam monasticam et alia munera ecclesiastica rite administranda praeparabantur; in his vero praecipue instituebantur, qui aliquando muneribus politicis praesse cupiebant. Tradebantur autem in his scholis tam Cathedralibus quam Monasticis, praeter Sacras litteras, VII. artes quas vocant liberales; nempe Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, ⁴⁾ Musica, Geometria et Astronomia; quarum tres priores conficiebant *Triuium*, quatuor autem posteriores *Quadriuium*. Verum enim vero non tantum has scholas Cathedrales et Monasticas

B 2

insti-

3) Placet quaedam ex *constitutione illa generali de Scholis erigendis* hic inferere, vt mens Caroli M. eo magis innotescat: Ita autem ad *Baugulfum Abbatem Fuldensensem scribit*: Notum sit Deo placitae deuotioni vestrae, quia nos vna cum fidelibus nostris considerauimus, vtile esse, vt Episcopia et Monasteria nobis, Christo propitio, ad gubernandum commissa, praeter regularis vitae ordinem, atque Sanctae Religionis conseruationem etiam in litterarum meditationibus, eis, qui donante domino discere possunt, secundum vniuscuiusque capacitatem, docendi studium debeant impendere. -- Tales vero ad hoc opus Viri eligantur, qui et voluntatem et possibilitatem discendi et desiderium habeant alios instruendi. -- Huius itaque Epistolae exemplaria ad omnes suffragantes, tuosque Coepiscopos, et per vniuersa monasteria dirigi non negligas, si gratiam nostram habere vis. Interea merentur hic legi, quae *Bulaeus inbistor. Acad. Paris.* Tom. I. p. 79. sqq. de Scholis Episcopalibus et Coenobialibus disseruit.

4) Extat disertum Caroli mandatum in *Capitul. Aquisgranensi* de Ao. 789. §. 70. quod reperitur in *Corp. Iur. Germ. Antiq.* p. 568. et 1301. vbi Carolus Sacerdotes ita alloquitur: Sed et hoc flagitamus vestram almitatem, vt ministri altaris Dei suum ministerium bonis moribus ornent -- vt scholae legentium puerorum fiant, Psalmos, notas, cantus, computum, Grammaticam per singula Monasteria vel Episcopia discant.



instituit, sed instituit quoque alias multo ⁵⁾ celebriores, cum intra, tum extra Germaniam: ⁶⁾ Osnabrugae, Bononiae, Ticini, Lugduni, ⁷⁾ Metis, Sueffione, aliisque in locis, quarum omnium eminentissima tamen erat ⁸⁾ Palatina in Palatio suo, ubi non tantum sui, sed et Nobilium liberi in sacris litteris, omnibusque reliquis disciplinis diligenter erudiebantur. Nec hoc praetermittendum esse arbitror, quod Carolus noster prima quoque iecerit fundamenta Academiae Parisiensis. Grata posteritas hoc amplum beneficium tanti semper aestimavit, ut, cum quatuor potissimum Nationes Parisiensem constituant Academiam, vnaquaeque autem inter diuos sibi adoptauerit Patronum, Anglicana quae et Germanica dicitur, Carolum M. Imperatorem vna cum Edmundo Anglorum quondam Rege tutelarem sibi elegerit Praesidem, auctore Bulaeo, in historia Acad. Paris. Tom. II. p. 346.

§. VI.

Vt autem omnia recte fierent, constituit Missos Dominicos, qui praeter alia negotia non tantum curam gerent Scholarum

5) De his vide iam supra laudatum libellum *Io. Launii de scholis celeberrimis seu a Carolo M. seu post eundem Carolum per Occidentem restauratis*, qui prodiit Parisiis 1672. 8. Saepiusque recusus est, e. g. a *Io. Alb. Fabricio*, Hamburgi 1717. Reperitur quoque inter eius Opp. Tom. V.

6) In diplomate fundationis Ecclesiae Osnabrugae, diserte haec verba leguntur: *Ea de causa statumus, quod in eodem loco graecas et latinas scholas in perpetuum manere ordinauimus nec vnquam clericos vtriusque linguae gnaros deesse confidimus.* Cf. *Monum. Paderb.* p. 328. et *Cranzius loc. cit.* I. 2.

7) Metae et Augusta Sueffionum inprimis propter Scholas Cantorum claruerunt. Ibi enim docebant cantandi artem *Theodorus et Benedictus*, Romanae Ecclesiae doctissimi Cantores, quique ab ipso Gregorio M. eruditi fuerant. Hos Carolus M. ab Hadriano I. Pontifice Rom. ex collegio Gregoriano petierat, ut *Franciam in cantu corrigerent, cantumque Francorum vbiuis conformem Cantui Romano facerent*, ut testatur *Monach. Engolism.* in Vita Caroli M. ad annum 787. apud *Bouquet S. R. G.* p. 185. Tom. V.

8) Omnium in hac schola celeberrimi Magistri erant *Alcuinus, auctor Scholae Turonensis, et Claudius Episcopus Taurinensis.*

larum Monasteriorumque, sed qui vitam quoque et mores ipsos Episcoporum, Abbatum, ceterorumque Clericorum sedulo obseruarent, Nonis Decimisque Ecclesiae, quotannis soluendis, bene prospicerent, Episcoposque in coercendis clericis contumacibus adiuuarent. Extat de horum Legatorum ¹⁾ officii peregrinus libellus Francisci de Roy, qui prodiit primum Andeg. 1672. postea vero Ao. 1744. Lipsiae recusus est opera Io. Wendedel. Neuhausii Senatoris Lips. Amplissimi. In hoc libello tota III. sectio agit de officio Missorum circa disciplinam publicam.

§. VII.

Erat autem ipse Carolus M. erga Deum egregie pius vehementerque ²⁾ amabat litteras, atque hoc suo exemplo omnibus, qui imperio suo parebant, similem litterarum pietatisque instillabat amorem. Arcessēbat doctissimos ex Britannia, Italia, aliisque ciuitatibus homines, quorum consilio in institutis scholis restaurandisque litteris utebatur. Quid? quod vsus est in discenda Grammatica Petro Pisano, Diacono: in ceteris vero disciplinis nempe in Rhetoricis, Dialecticis, Astronomicis, Arithmeticis, et sic porro, Alcuino, Abbate Cantuariensi,

B 3

- 1) Hos Missos Dominicos mores ipsius adeo Pontificis Rom. obseruasse, egregie docuit Ven. *Christ. Wilb. Franc. Walchius* in *diff. de Missis Dominicis, Pontificis Romani iudicibus.*
- 2) *Amorem Caroli M. erga litteras Eginhart. c. 24.* ita describit: Inter conuandum aut aliquod acroama aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiae et antiquorum res gestae. Delectabatur et *libris S. Augustini*, praecipue iis, qui de Ciuitate Dei praetitulati sunt. Et *Cap. 25. ita pergit*: Nec patrio tantum sermone contentus, sed etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit, in quibus latinam ita didicit, ut aequae illa *ac patria lingua orare se solitus.* Graecam uero melius intelligere quam pronuntiare poterat. -- Artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis afficiebat honoribus. -- De insigni autem eius pietate reliquisque uirtutibus agit laudatus *Eginhart. c. 26. § 99.*



ensi, quem tantopere in deliciis habuit, vt Anastasus Bibliothecarius cum adeo *Deliciosissimum Regis Caroli* vocauerit. Habebat in Palatio suo instructissimam³⁾ Bibliothecam, vbi multi codices non modo sacrarum litterarum, verum etiam Graecorum Latinorumque Ecclesiae doctorum reperiebantur. Verum enim verò non tantum litteras amauit, sed et ipse posteritati praestantissima scientiae suae documenta reliquit. Exstant eius⁴⁾ Epistolae ad Hadrianum I. et Leonem III. Pontifices Romanos, ad Alcuinum, Baugulfum, Elipandum, aliosque, qui tunc viuebant, Viros doctos. Exstant⁵⁾ *libri illi IV. nobilissimi de non adorandis imaginibus*, qui, licet in iis conscribendis vsus fit opera Alcuini, summo tamen iure nomen Caroli praeseferre possunt. Exstant porro eius⁶⁾ *Capitularia*, quae luculentissime ostendunt, quantopere ipsi curae fuerit salus Ecclesiae, studium pietatis, litterarumque propagatio. Exstat denique eius *ad Alcuinum de sacrificio Missae, ritibusque Ecclesiae libellus*,

3) De *Bibliotheca Caroli M.* elegantissimam scripsit dissertat. Io. Dau. Kochler. Altorf. 1727.

4) Reperiuntur maximam partem in Iac. Sirmondi *Collectione Conciliorum Galliae*, quae prodiit Parisiis Tom. III. et apud Bouquet S. R. G. Tom. V.

5) Scripti sunt *hi IV. libri Carolini*, cultui Imaginum oppositi, Ao. 790. tertio nempe anno post concilium Nicaenum II. in quo Iconoclastae tanquam haeretici condemnabantur. *Hadrianus I. Pontifex Rom.*, cui hos libros Carolus M. per Angilbertum Abbatem miserat, propter hanc rem tantopere ira incensus est, vt eos adeo in peculiari Epistola, ad eundem Carolum scripta, refellere tentaret. Prodiertum primum cura Io. Tili, *Episcopi Meldensis* ao. 1549. 12. sine loci tamen et editoris nomine. Postea vero recusi sunt opera *Christ. Aug. Heumannii*, Hannoverae 1731. 8. cum hac inscriptione, a Tiliiana valde diuersa: *Augusta Concilii Nicaeni II. Censura, b. e. Caroli M. de impio Imaginum cultu libri IV. Ceterum de auctore, fatis, variisque horum librorum editionibus vid. Praefat. Heumannii lectu dignissimam.*

6) Edita sunt vna cum ceteris *Capitularibus Regg. Francor.* a Stephano Baluzio Tomis II. Paris. 1677. Maxima eorum pars repetita est in saepius laudato Corp. *Iuris Germ. Antiqui.*

bellus, qui auctore *Christ. Matth. Pfaffio* in *diff. de Missalibus* p. 29. a *Wolfgango Lazio* cum aliis eiusdem argumenti opusculis anonymis editus est Antwerpiae 1560. 8.

§. VIII.

In his autem institutis haecenus recensitis laudatissimis ne antiquam acquieuit Carolus, sed et multa alia instituit, quae non minus ad sacrarum litterarum studium, quam ad propagandam conseruandamque Religionem Christianam egregie faciebant. Huc pertinet celeberrima illa Versionis latinae sacrarum litterarum per Alcuinum facta¹⁾ emendatio. Etenim Carolus bene sciens crebris descriptionibus, scribarumque incitiam valde fuisse deprauatam, rogauit Alcuinum, ut eam, ad fidem antiquorum Hieronymianae Versionis Codicum, recensere, a vitiiis librariorum purgaret, genuinasque in ea lectiones restitueret, quo eo magis non modo clericorum, sed et laicorum Ordini addicti ad legendas scripturas allicerentur, ipsique in iis scrutarentur, quae ad consequendam salutem aeternam scitu necessaria essent.

§. IX.

- 1) De hac emendatione legi meretur *Wetstenius in Prolegg. ad Nou. Testam.* p. 229. sqq. ex edit. *Ven. Semleri*; vbi monet: Alcuinum nonnulla adiecit, quae in Hieronymiana et antiqua Itala non fuissent. Verba eius haec sunt: Qui (Alcuinus) nouis libris ex Graecia acceptis — haud scio an inseruerit latino textui pluscula, Hieronymo atque veteribus profus ignorata etc. Interea *Ven. Semlerus cum Bianchinio in nota subiecta* negat, Alcuinum in restituenda versione vulgata Codicibus hebraicis et graecis usum fuisse. Verba *Bianchini* quae probat *Semlerus* haec sunt: Igitur sic statuo, minime illum hoc sibi negotii dedisse, sed neque illam ei fuisse mentem, ut originales textus consuleret, et se Archetypis hebraeo et graeco conformaret. Tota fuit eius industria in conquirendis vndeque Hieronymianae versionis codicibus, iisque sedulo inter se conferendis.
- 2) *Paulum Diaconum* non ipsum tales pericopas Euangelicas et Epistolicas collegisse, sed eas iam diu ante in Ecclesia Romana vsitatas fuisse, docet *Moshemius in Inst. Eccles.* p. 305. (in *Not.* r)



§. IX.

Vt autem imperiti et seynes Magistri haberent, quae in sacris conuentibus populo recitare possent, incitauit³⁾ Paullum Diaconum, hominem vt tum erant tempora egregie doctum, vt compilaret ex Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Leone M. aliisque Patribus collectionem sermonum super eas Scripturae Sacrae particulas, quae iam diu ante in Ecclesia Romana singulis diebus festis atque dominicis populo praelectae et explicatae fuerant, quaeque *Pericoparum Euangelicarum* nec non *Epistolicarum* nomine adhuc venerant. Testatur hoc diserte⁴⁾ Sigebert. Gemblacensis ad annum 807. dicens: *Carolus Imperator, per manum Paulli Diaconi sui, decerpens optima quaeque de scriptis catholicorum Patrum, lectiones unicuique festiuitati conuenientes per circulum anni in Ecclesia legendas compilari fecit.* Natum inde est Homiliarium illud nobilissimum, cuius praefationem ipse fecit Carolus, quodque tanta olim valuit auctoritate, vt concilium⁵⁾ *Turonense III. sub Carolo, Ao. 813.* habitum Can. 17. expressè iuberet, vt quisque Episcopus hasce Homilias non tantum sibi compararet, sed vt easdem in rusticam quoque Romanam linguam (Gallicam) aut Theotiscam transferre studeret, quo facilius cuncti, quae dicerentur, intelligerent. Exstat tale⁵⁾ Homiliarium in Bibliotheca Augiensi, duobus magnis Voluminibus, ab 900. annis, descriptum, cuius inscriptio haec est: *In nomine Omnipotentis Dei incipiunt Omeliae siue tractatus beatorum Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Leonis, Maximi, Gregorii et aliorum Venerabilium Patrum, legendi per totius anni circulum, tam in singulis dominicis diebus quam*

3) Apud Pistorium S. R. G. Tom. I. p. 550.

4) Apud Sirmondum in Collect. Concill. Gall. Tom. II. p. 298.

5) Testatur hoc Mabillonius in *Analec. Vett.* p. 18. Praefationem autem Caroli, in qua Paullum familiarem suum nominat, refert idem Mabillon. p. 73. (Edit. 1723.)

quamque et in reliquis diuinis festiuitatibus, i. e. Natiuitate Domini, nec non Epiphania, seu Pascha, Ascensione quoque Domini, siue Pentecoste, vel etiam festis Apostolorum, Virginum, Martyrumque seu Confessorum Ieiuniorumque diuersorum. ¹⁾

§. X.

Videns autem Carolus, multa multis Monachorum fabulis referta Martyrologia circumferri, et a populo, semper fere prodigiosa probante, legi; non poterat non, quin et huic malo mederetur, infirmitatique horum hominum quamprimum succurreret. Qua de re per Vsuardum, Alcuini discipulum, ex Hieronymi, Bedae, aliorumque Martyrologiis nouum ²⁾ Martyrologium condi curabat, quod vacuum esset ab eiusmodi anilibus fabulis, et in quo exempla verae integraeque pietatis populo proponerentur. Prodiit tale *Martyrologium* Parisiis 1718. ex ipso *Vsuardi Autographo*, quod Monachi Benedictini adhuc in Monasterio San-Germanensi asseruari gloriantur. Exstat quoque a *Io. Bapt. Sollerio* editum in *Actis Sanctior. Antwerpp.* Tom. VI. et VII. mensis Iunii.

§. XI.

Omniū vero luculentissimum documentum studii, quod Carolus M. in propaganda et confirmanda Religione Christiana collo-

- 1) Prima huius *Homiliarū* editio prodiit *Spirae* 1432. apud *Petrum Draebium*, quae postea saepe repetita est.
- 2) Agunt de hoc Martyrologio: *Baronius ad annum 778.* p. 339. Tom. VIII. et *Fabricius in Biblioth. Gr.* Tom. VIII. p. 37. Omnium prima eius editio prodiit *Ao. 1475. Lubecae*, vnde plerumque vocatur *Maxima Lubecana*, auctore *Sollerio* in Praefat. huic *Vsuardino* Martyrologio praefixa p. 45. fgg. Alia Martyrologia recensent, *Fabricius loco laudato et Catalog. Biblioth. Bunau.* Tom. III. Vol. II. p. 588. fgg.



collocavit, conspicitur in Synodis Conciliisque pro retinenda doctrinae diuinae puritate habendis. Eminet ex iis praecipue 1) Francofurtanum, Ao. 794. praesentibus ex Gallia, Italia, Germaniaque trecentis Episcopis habitum, in quo non modo errores 2) Felicis et Elipandi, Christum secundum humanam naturam pro filio Dei adoptiuo habentium, condemnabantur, sed ubi quoque decreta Concilii Nicaeni II. ab Irene Imperatrice Ao. 787. ad 3) cultum Imaginum stabiliendum conuocati, iterum iterumque reiiciebantur. Capitularia in hac Synodo composita, lectuque dignissima reperiuntur non modo in *Sirmondiana Collectione Conciliorum Galliae* Tom. II. p. 129. sqq. verum etiam in *Corp. Iur. Germ. Antiq.* p. 585. sqq. ex quibus omnium maxime eminet, Capit. 40. his verbis expressum: Statuimus, *Vt nulli noui Sancti colantur aut inuocentur, nec memoriae eorum per vias erigantur; sed ii soli in Ecclesia venerandi sint, qui ex auctoritate passionum aut vitae merito electi sunt.* Comprobantur potius publica auctoritate 4) libri illi IV. Carolini, de quibus

- 1) Egit de hoc concilio ex instituto Io. Georg. Dorsebeus in *Collatione ad Concil. Francofurtense*, sub Carolo M. habitum, quod opusculum tamen mihi non inspicere licuit.
- 2) Vnde ii, qui hos sequebantur, vocati sunt *Adoptiani*, de quibus egregie egit Ven. *Christ. Wilb. Franc. Walchius* in *historia Adoptianorum*, quae prodiit Götting. 1755. 8.
- 3) Historiam huius *de cultu Imagg. controuersiae* exposuit *Frid. Spanheimius* in *historia Imagg. restituta*, quae tractatio reperitur in *Opp. Tom. II.* quaeque saepius deinde quoque separatim recusa est.
- 4) Hac re commota est Ecclesia Romana, vt sequentibus Seculis hos libros in *Indicem Libror. prohibitorum* referret, vt docuit laudatus *Hermannus* in Praef. §. XI.

bus supra diximus, totusque *Imaginum cultus*, tamquam res, puritati doctrinae diuinae longe perniciosissima, repudiabatur.

§. XII.

His autem Caroli M. institutis, nonnullisque aliis, quae ob exiguos dissertatiunculae meae limites commemorare non possum, commota tandem est grata posteritas, ut *diuinos honores* ipsi decerneret, eumque in *numerum Sanctorum* solemniter referret. Facta est haec 1) canonisatio, consentiente Paschale III. Pontifice Romano, ab Imperatore Friderico I. Aquisgrani 2) Ao 1165. a d. V. Calendas Ianuarias, praesentibus multis Episcopis atque Principibus, magnoque cum tripudio cleri et populi, coliturque eius memoria usque ad hunc diem in multis 3) Germaniae, Galliae, Hispaniae, Belgii, Heluetiaeque ciuitatibus, maxima cum veneratione. Tantum vero abfuit, ut posteri in Carolo M. consecrando, eiusque nomine in 4)

B 2

Mar-

- 1) Plura de *Caroli M. Canonisatione* reperies in iucundissimo libello, quem edidit saepe laudatus *Vener. Walchius* Ienae 1750. 8.
- 2) Hoc enim in loco, et quidem in *Aede B. M. Virginis*, quam suis sumptibus extruxerat Carolus, sepultus iacebat. Postea autem *Orto III.* Ao. 1000. huius Sepulcrum aperuit, in eiusque locum multo magnificentius monumentum extruxit, depromtis ex eo *antea Gladio, litterisque aureis scripto Euangelio*, quibus *Insignia Sacri Romani Imperii* ditare cupiebat.
- 3) E. g. Aquisgrani, Herbipoli etc.
- 4) Licet nomen Caroli M. multis Martyrologiis, e. g. *Io. Molani, Aub. Miraci, Io. Bollandi* aliorumque insertum sit, nihilo minus tamen in *Martyrologio Romano* nondum legitur, cuius causam nullam aliam esse, putat

QX 11 654

X 396840



Martyrologia, Sanctorumque Calendaria referendo acquiesce-
rent, vt potius ipsum adeo modum praescriberent, quo sacra
illa anniuersaria, memoriae eius dicata, a. d. XXVIII. Ianuarii
celebranda et peragenda essent. Exhibet hoc de Sancto Caro-
lo officium *praeter Canisum* in *Lectt. Antiqq.* Tom. VI. Vener.
Walchius in *laudata historia Canonisationis Caroli M.* p. 104.

putat *Frid. Spanhemius* Tom. I. Opp. p. 1337. quam quod *auctoritati*
Pontificum Romanorum tam masculè semper resisterit, *cultumque Imagi-*
num omnibus viribus impugnaverit.




8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13



II n
654

MMENTATIVNCVLA
DE
OLI M. IN PROPAGANDA
SERVANDA RELIGIONE
CHRISTIANA

QVA
VIRO
RENDO EXCELLENTISSIMO
VE DOCTISSIMO
IAE · MICHAELI
MELMANNO
PRIMARIJ ANTISTITISQVE A SACRIS
FRIBVRGBNSI FACIYNDIS
VENT. A. R. S. CIDI CCCLXVI.
ADEVNTI
IA MENTE
GRATVLATVR
FRIDEMANN CAROLVS ROTH
ERFVRTENSIS.

IP S I A E,
VIDVAE LANGENHEMIAE.



1866. 20. Sept.
trator